

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Inscriptio:

*Præstantiss. Viro, Dn. Luca Osiandro S. Theologia Doctori.  
Domino suo colendissimo & charissimo fratri.*



## XII.

**D**Um commoratur hic tabellarius, prior redit, & tuas mihi literas exhibet, in quibus gratissimum, quod de læta catastrophe deliberationum Academicarum & de Gravensteinio Provinciali promovendo polliceris. Quod de consiliario à nobis non planè alieno, & de pagellis legum, indicari in meis literis petiveram, video te præteruisse. De domo Dionysianà scire velim, an Præfectus illius sit Conradus Arnoldus? De domo Sapientia, in qua 60. alumnos Electoris benignitate olim ali memini, docebis me, an idem numerus nunc etiam servetur & completus sit. Habeo mecum fratris filium, bono & candido ingenio, sed tardiore præditum: & sororis filium ingeniosum & in schola patriæ tuæ feliciter institutum. Ex his alterum in tuam disciplinam tradere cuperem. Quis sit Ambrosius Wolfius, qui adeo hostiliter Neapoli in miseros Patres Bergenses, & recens in me nominatim ob Historiam Confess. Aug. editam, invehitur, quæso ut significes. Audio conventum Pastorum isthic diè 7. Aprilis ab Electore institutum esse, cujus tu mentionem nullam facis. Moræ publicationis libri concordia, causam esse ajunt, quod Illustr. Elector jam hac, jam alia de causa diutius differri petat. Historiam Confessionis Augustana à Wolfio editam habeo. Defensiones D. Pappi legere percupio. Sed subito exemplaria omnia disparuisse Francofordiæ, intelligo. Fortè ab Adversariis coempta sunt. Tu si nactus interea exemplum fueris, quæso, ut mecum communices. Reverendi Parentis consilia & actiones gubernari à DEO æterno, omnis sapientiæ & successuum salutarium fonte, non dubiro. Ei salutem reverenter & officiosè verbis meis dices. Benè vale. 20. Aprilis, 1580.

(Chytræi manus.)

## XIII.

*Salutem in Domino Jesu Christo. Venerande & humanissime D. Doctore.*

**Q**uam in tristi & periculoso statu res Academia, & per hanc etiam Ecclesiæ nostræ versentur à tuo discessu, & quomodo Satan per sua organa omnem edificationem Christi inter nos subvertere conetur, de eo Dn. Doctor Philippus ad R. T. prolixè & verè scribet. Ego tantum hoc oro, ut nos precibus ad DEUM juvetis, & R. T. literis ad illustrissimum nostrum pro occasione datis animum ejus

variè

variè tentatum confirmet, quo constanter opus Domini & Ecclesiæ ipsius urgeat, ac circa ea, quæ in absentia tua à nostris videntur commodè vel infusurrari auribus optimi Principis, vel etiam audacter perpetrata, in ipsius absentia, excusari postea facile posse, fortiter officium suum faciat, suggesta non curando, & ne peccetur, prohibendo, iramque peccantibus minitendo. Utinam verò Illustrissimus noster vel Doctorem Kitchnerum, vel D. Philippum ad se vocet, & ipse penitus de insolentia ac tergiversationibus Academicorum ex alterutro cognoscat. Planè isti homines cogitant, nos & nostra omnia tandem, si paulatim victoriam obtineant, pedibus conculcare. DEUS illos reprimat, & nos in anxietate ac mœrore perpetuò hærentes tandem benignè respiciat & à furis istis liberet, Amen. Versionem Epistolæ Buceri ad Comandum in manibus habeo, sed per quotidianos congressus senatus Ecclesiastici & alia negocia non celerrimè in vertendo progredior. Verti tamen jam aliquot folia, quæ D. Philippus curabit per quendam ex suis ad mundum describi, unà cum reliquis de die in diem accedentibus. Ego præsentatus quidem sum, sed de his, quæ officii mei propria sunt, nihil mihi datur, nisi quod paulatim ipse accipio, tanquam non negligendum. Dn. Lautenbachius de sui negotii successu ipse referet ad R. T. omnia, ut oportet. Hisce tuam R. CHRISTO DOMINO commendo, & felicem restitutionem sanitatis eidem præcor. Heidelbergæ, postridie Calend. Maji, Anno 80.

T. R. H.

*observantiss.*

Petrus Patiens.

## XIV.

PER M. Florum scripsi, cui injunxi, ut præsentium latorem tibi commendaret, eo quod familiariter habeat cognitum. Ipse autem etiam tibi commendare literis volui, quia verè syncerus & mihi propter eximias virtutes vehementer charus. Benè profecit in literis, in erudienda juventute, industria valet & gratia singulari, & amanuensis operam præstare potest. Itaque spes est, posse isthic aliquo modo ei succurri, ut sustentationem habeat vel tenuem, modò suis studiis accomodam. Libuit ei vestram Academiam accedere, idque ejus institutum probavi, & quod eum commendo, nihil vereor, ne exprobrationem postmodum referam, nisi mutet mores & ingenium, qui nihil non mihi de illo promitto. Sed coràm cognosces de moribus & studiis, quæ seio approbatum iri tibi, & reliquis, quibus innotescet. Bene vale in CHRISTO JESU cum tuis omnibus, & per occasionem, quæ Heidelber-